



At Feliciorem fortis aleam haut jecit Epicurus, ac Thales. Esto enim subterranea flumina terram super incumbentem terebrent, ac sensim exedant, donec regio imposita penitus collabatur: fieri tamen haut potest, ut ex voraci aquarum intra cavernas subterraneas decurrentium eruptione tellus ipsa hinc inde moveatur, aut interdum concutiatur, id est, modo elevetur, modo deprimatur.

§. XXX.

Accedunt non nulli ex antiquis, qui terram pro causa sui motus adsignant: tum enimvero adserunt excitari terræ motum, quando partes ex cryptis subterraneis, quas aut humor solvit, aut ignis exedit, aut vetustas consumpsit, magna vi, ac copia decidunt.

Sed si opinio isthæc procederet, motus terræ semper uniformis foret, motus scilicet deorsum, secus plane, ac ipsa experientia prodit. Accedit, quod motus ex præcipiti partium casu sequutus nequeat tamdiu perdurare, ac eousque propagari, quamdiu perdurasse, & in quantum spatium excurrisset tremulos terræ motus jam est compertum.

§. XXXI.

Sequitur Aristoteles, qui neque aquam, neque terram motionis terrenæ causam esse docet, sed spiritum statuit, cui vim terram commovendi adtribuit. (a) Imo etiam ad ventos provocat, quos, si in terram decubuerint, eam per flatus suos commovere putat.

Neque hæc opinio adhuc facit satis, licet haut multum a vera terræ motus origine abhorreat. Spiritus enim, qualiscunq; demum fuerit, adeo fortis esse non videtur, ut cavernas

---

(a) Lib. 2. Meteor. c. 7. f. 188.